

Divus JOANNES FRIDERICVS, sanctae memoriae Elector, A. 1533. tribus viris doctis, CRVCIGERO, POMERANO atque AEPINO sumtibus suis, seque praesente, conferri honores illos voluerit, atque ipse a principio usque ad finem interesse ipsorum disputationi non fuerit dedignatus, nec non aulae Doctorali affederit, tandem universum actum *splendido & per omnia regio* in arce parato convivio finiverit, quo convivae per 20. mensas distributi fuerint. Quam historiam Justus Jonas sua manu scriptam sic finit: *Quare haec minora adscribere voluimus, ut posteris intelligant, qua singulari propensione animi, quo amore Illustrissimus Princeps sub primo annu suae gubernationis erga Doctores Evangelii & studia pietatis fuerit.* Ac deprehenderunt sane sapientissimi studii sanctioris aestimatores, quantum bonum situm sit in Doctore vel unico sincero, cujus precibus, monitis & doctrinae custodia, tot ac tanta interdum mala averruncata sunt, ut nullis alioqui mere humanis consiliis istud fieri potuerit. Habet Deus hanc consuetudinem, ut Ecclesiam suam non strepitu sed sceptro verbi regat, atque ea de causa voluerit ad maximas etiam in ea res gestas non externo splendore superbientes, sed humiles, imperterritos tamen & candidos, viros adhibere: per quos interdum ea patravit, quae omnem humani intellectus captum longissime transcendant. Parvum nomen est DOCTORIS, quid enim est aliud, quam si docentem nominemus? vel hoc vero tantum est munus, ut Christum non puduerit istud cum Regio ac Sacerdotali suo munere conjungere. Docere gentem, est illi providere de Dei vera notitia, de fide & moribus, de gratia Dei ipsaque vitae aeternae perceptione. Quibus beneficiis quid excellentius aut majus